416 / 17

QUÆSTIO MEDICA PROPOSITA

AB ILL. AC NOB. D. DOMINO
JOSEPHO TRIMUNDO
BRUN

Doctore medico Aggregato, Regente Ordinario, ac Profeſſore primario.

SUB HAC VERBORUM SERIE

An Omni ictero aperientia.

Quam pro altero ex punctis ſibi ſorte aſſignatis, Deo favente & auſpice Dei-parâ tueri conabitur. Nobilis D. JOANNES PAULUS ROLLAND Carpentoractenſis Medicinæ Licentiatus, in magnâ Cancellariæ aulâ Palatii Archiepiſcopalis die Octobris 1719. à ſeptimâ ad meridiem.

PRO DOCTORATU.

AVENIONE,
Apud LUDOVICUM DOMERGUE, Typog. & Bibliop

M. DCC. XIX.

318237

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

QUÆSTIO MEDICA

An omni Ictero aperientia.

I.

EA eſt naturæ lex in corpore humano inſtituta, ut quæ fit ſingulis diebus ſubſtantiæ deperditio, hæc alimentorum ope reſarciatur. Tanto muneri abſolvendo innumeræ operantur partes; illæ ciborum inſerviunt deglutitioni, iſtæ præparationi, aliæ jam elaborata alimenta ferunt ad omnem corporis habitum, aliæ ſuperfluos humores foràs educunt; ſunt demùm quarum unicus eſt uſus liquores ſecernere ingeſtorum elaborationi omninò neceſſarios, inter quas primum hepar locum obtinet, ex quo fluit bilis di-

geſtioni maximè utilis dùm nullis coinquinatur vitiis, plurimùm verò nociva dùm qualitate peccat aut quantitate. Bilis ſicut & alii omnes corporis humores glandularum auxilio è ſanguine ſeparatur, pororum ſecretoriorum ea eſt ſtructura ut deſtinatum liquorem recipere & percolare valeant, cæteris præcludatur aditus. Hocque à ſummo hominum conditore ſapienter ſtatutum eſt; cùm accuratâ illâ diſpoſitione vigeat corpus, mirabiliſque ſervetur œconomia in quâ ſanitas & vita poſitæ ſunt. Glandulæ uniûs vel leviſſima obſtructio aut alteratio graves inducere valet affectus. Morborum nulla cauſa frequentior obſtructionibus. Qui per glandulam debet excerni liquor in corpore diutiùs remanens ſenſim corrumpitur ac vitiatur, ſanguinem eâdem labe contaminat, ſicque creſcente intùs vitio humorum ſequitur confuſio & inordinatus motus corpori univerſo ſæpiſſimè exitioſus. Dùm tenuiſſimæ quædam cutis glandulæ humoribus infarciuntur & obſtructionibus laborant, tumores, inflammationes, abſceſſus oriuntur, horrores artus occupant, ſuccedit febris & infinita alia exurgunt

mala quibus vix mederi poſſunt Pharmaca efficaciora. Si ren unus aut alter adimplere officium ceſſet, tanta undaquaque urgent Symptomata ut brevi periturum ægrotantem diceres. Quid itaque de hepatis obſtructione non metuendum? quid de præpedito bilis circuitu, ejuſque in ſanguinem reditu? hoc in lubrico rerum concurſu vix ſalutem licebit ſperare: hinc jecoris morbi aut Medicinam neſciunt, aut difficulter admodùm ſanantur. Viſceris illiûs ſubſtantia mollis eſt & ampla, nullis donatur fibris carneis, arteriis nullis, languet illiûs motus, ejus actio debilis eſt & infirma; ideòque quod ſemel contraxit vitium ægrè reparatur. Glandulæ, veſiculæ, ductus biliares, vaſa ſanguinea & lymphatica omnem hepatis compagem conſtituunt. Hæc omnia facillimè poſſunt alterari, difficillimè reparari. Quæ ibidem percolari debet bilis liquor eſt qui vel leviſſimo motu fermenteſcit & incandeſcit, qui ebullitione novos acquirit alterationis gradus, & innumeros parit affectus, inter quos frequentiſſimè occurrit icterus morbus tam hepatis quam bilis vitio natus, qui tyrannidem in corpus univerſum

exercet, & ubique latentis intùs vitii veſtigia imprimit.

I I.

ICTERUM noſcere nemo niſi cæcus non poteſt; oculis opus eſt non conjecturis; dubiis aut incertis non proditur ſignis; morbus ex ſe evidens eſt & circumſpicienti cuilibet manifeſtus. Flavus color quo per totum corporis habitum cutis inficitur, bilis excedentem copiam ſatis ſuperque declarat: nulla pars coloris illiûs expers, in ore & ſubtùs ungues apparet, eodem obſcurantur oculi, & tanquam externa objecta in morbi commercium venirent lutea cernuntur omnia: alimenta ſuaviora quibus priùs lingua delectabatur ingratâ amaritudine videntur referta, & non niſi bilem redolent: quæ etiam è corpore excernuntur excrementa ſæpiſſimè flaveſcunt, quæ verò in corpore remanent recrementa tetro & rodenti humore vitiata ſanguinem inficiunt, innumeraque ſuboriuntur ſymptomata nullis ſæpè remediis compeſcenda. Febris modo vehemens & continua, modó remiſſior & intermittens, horrores & tre-

mores artuum, partium inflammationes & dolores ſolent ſupervenire; accedunt laſſitudo & ſegnities; languet appetitus; corpus inquietudinibus torquetur. Si ſerinus ille humor capiti hæreat, ſuccedunt vertigines, hemicraniæ, vigiliæ pertinaces, necnon quandoque inſultus epileptici: ſi feratur ad pectus ſuffocationem affert, tuſſimque vehementem; immoraturne ſubtùs cutem? inibi dolores parit & aſperos pruritus; in ventriculo unà cum ingeſtis cibis immiſceturne? vehemens oritur fermentatio cui inflammatio, vomitus, aut ſingultus ſupervenire poſſunt. Infinita demùm aborta ſymptomata brevi futuram corporis univerſi ruinam prænuntiant. Tot malis tantâ vehementiâ ortis, prudentis medici eſt ferre opem quam citiſſimè; quod ut præſtet feliciùs, primùm cauſa morbi cognita eſſe debet. Nam licet laborare ſimul videantur quælibet partes, morbi tamen fomes & origo præcipua jacet in hepate liquoris illiûs lutei & ferocientis officinâ. Separata bilis per canalem choledochum ferri debet ad inteſtinum duodenum, ubi ejus quædam portio alimentis permiſta aut foràs amandatur,

aut lacteas cùm chilo vias ſubit, dùm reſidua pars venas mezaraicas ſubintrat inteſtinorum viam relinquens. Liquoris illiûs ſeparationi & circuitioni multa obſtare poſſunt : non mirum ideò hunc extra vaſa conſueta vagantem inducere morbum arquatum, cutemque modò colorem citrinum, modo flavum, modo luteum ad nigrum vergentem pro diverſâ ejuſdem indole & quantitate recipere. Hinc dubio procul icteri cauſa non aliunde deducenda quam ab obſtructionibus bilis ſecretionem aut fluxum præpedientibus.

III.

HALLUCINANTUR plurimùm qui dùm morbum dignoſcunt ſatis profeciſſe putant ; & de cauſâ illiûs, differentiis, ac ſymptomatis parùm ſolliciti, remedia temerè præſcribunt quibus infelix ſæpè ſuccedit eventus, & vita in ancipiti eſt. Sic ut icterum eradicare poſſint, purgantia, aliaque evacuantia adhibent quæ bilis æſtum augent, curationem afferre non valent. Hâc methodo ſi morbum non ſanant hujus vehementiam increpant,

non eorum ignorantiam. Salus tamen hominum iis concreditur medicaſtris qui ſæpè pro remediis venena miniſtrant & ægrotantes impunè ingulant. Verùm, ô pudor! in negotio ſanitatis & vitæ plerique decipiuntur homines, & clauſis, ut ajunt, oculis alienum ſequuntur judicium; quoſque vel petulantis linguæ jactantia vel amicorum favor non ſolidæ doctrinæ cognitio extulit, eos medicos eligunt; unde plerique medicinam nunc profitentes non omine ſed nomine magni & fortunati medici nomen apud populum acquirunt, cæteriſque præferuntur. Hodierno enim mundo ita comparatum eſt ut pars maxima mortalium cum multis inſanire quam cum paucis ſapere diligat. Medici autem quorum ſcientia non in verbis ſed in accuratâ rerum omnium quæ medicinam ſpectant notitiâ conſiſtit, ad ægrotum accedentes morbi naturam perpendunt, ejus detegunt cauſas, obſervationes colligunt, cæteriſque omnibus æquâ lance libratis remedia præſcribunt morbo convenientiora: quapropter icteri cauſas inveſtigando non bilis accuſant effervefcentiam, non humorem malignum in

ſanguine latitantem, aut cum eo circulantem, ſed diligenti obſervatione & exquiſito judicio detegunt duplicem tantùm eſſe morbi regii ſpeciem, aliam in quâ bilis ſecretio in hepatis glandulis eſt præpedita, aliam in quâ eadem ſeparata per deſtinatas vias fluere nequit: ab his duobus bilis in ſanguinem reditus inducitur. Jecoris glandulæ ſuccis craſſis & viſcidis ſæpè infarciuntur & obturantur, ſuperveniens bilis non poteſt tranſcolari, & in ſanguine remanens, humoribuſque permiſta eos colore & qualitate malignis inficit, unde icterus. Obſtructio hepatis ita aliquando creſcit ut inflammatio, tumor, ſchirrus, & abſceſſus ſuperveniant, quibus ita cohibetur bilis ſeparatio ut nulla ſit ſalutis via, ægerque brevi pereat. At cùm nullomodo laborant hepatis glandulæ, & humorem ſolitum ſecernunt, vitium è felleâ cyſtide, ductibus excretoriis, aut canali choledocho ſæpè prodit: Lymphâ aut bili craſſiore vel etiam intùs genitis lapillis hæ partes obſtruuntur, eademque oriuntur ſymptomata quæ modo ab hepatis obſtructione oriri diximus. Icterum ab iis omnibus productum cauſis dete-

gunt hypochondrii dextri dolor, tenſio, & durities, ſed ſignum certius haud ullum datur quam fæces albæ, & aſtricta alvus; defectu enim bilis nec colorem flavum induunt excrementa, nec ad exitum provocantur. Icteri alia ſpecies ex hoc dignoſcitur quod nulla ſint in hepate aut bilis ductibus impedimenta, & excrementa exeant colore flavo valdè ſaturata. Provenit ex obſtructione venarum meſaraicarum & trunci inferioris venæ portæ circa inteſtinum duodenum repentis. Peculiaris nempè datur bilis circuitus qui venarum meſaraicarum ope abſolvitur. Dùm ergò nequaquam afficitur hepar, icterus non aliæ tribui poteſt cauſæ quam venerum meſaraicarum vitio. Bilis quæ ea vaſa ſubire debuerat aliorſùm movetur, & venarum lactearum poros paulò patentiores ſubintrat, ubi cum chylo permiſta ſimul in ſanguinem tranſmittitur. Unde manifeſtum eſt omnem icterum ab obſtructionibus provenire, ſivè in hepatis ſubſtantiâ aut ductibus ejus biliferis ſive in inteſtinis efformentur.

I V.

TANTA eſt hepatis moles, tanta bilis quam ſecernit copia, ut alimentorum præparationi quæ fit in inteſtinis omnis inſervire nequeat. Aperto viventis moloſſi duodeno obſervatur bilis dragmas tres è ductu choledocho ad inteſtinum ſingulis horis fluere. Quid de homine cenſendum in quo & grandius corpus & moles jecoris multó major? in hoc ſanè fellis uncia ſemis ad minimum eodem intervallo effundi debet, quod libræ unius pondus quotidie attingeret? ſed cùm ne tanta quidem ab alvo ſingulis diebus deponatur excrementorum quantitas, neque cum chylo immiſceatur, bilis maxima pars aliorſùm moveri debet, atque hunc in modum circuitum ipſiûs peculiarem perfici neceſſarium eſt. Bilis ubi ad inteſtina pervenit pars ejus terreſtrior fæcibus permiſta unà cum iis foràs amandatur, dùm volatilior magiſque mobilis partim cum chylo ſanguinem petit, partim venarum meſaraicarum poros ſubit, & ſanguini permiſta in portam exoneratur, indeque glandularum hepatis ope ſeparatione

factâ per ductum choledochum ad inteſtina fluit, iterùmque depoſitis craſſioribus particulis, meſenterii venas ſubintrat, & eandem quàm antè viam ſequitur. Verùm ne fortaſſè quiſpiam putet hunc bilis circuitum inutiliter factum atque inſtitutum fuiſſe, quanta ab eo ſuperveniant bona referre non extraneum erit. Bilis conſtans maximè partibus terreſtribus & ſulphureis craſſioribus diutiùs in colatorio submoraretur, niſi à ſeparatâ jam ſubtiliori bili motum reciperet & actionem; hæc etiam tantâ ut fieri ſolet copiâ ſeparari numquam potuiſſet, niſi venarum meſaraicarum ope nova bilis accederet quæ alteriûs veluti vehiculum eſt. Inſuper ſanguis venæ portæ, quæ hic arteriæ fungitur officio, identidem eundo retardaretur, niſi motus illiûs multis foveretur cauſis: quare qui per ſurculum fertur ritè fuit antea in liene præparatus, qui verò è ſerculo inferiori ſeu è meſaraicis prodit bilem continet ſubtiliorem quæ novam ſanguini præparationem tribuit. Sed hanc bilis circuitionem ulteriùs rationibus & experimentis confirmare placet. Bilis quæ ad inteſtinum duodenum pervenit, non

omnis ciborum præparationi deſtinatur, quoniam nullis ſæpè occurrit alimentis, vel paucâ admodùm quantitate cum iis coit, aliam igitur inire viam debet, & venarum meſaraicarum poros ſubire: earum ideò venarum ſanguis colore flavo, quo etiam vaſa inficiuntur, intenſè tinctus apparet, guſtuque amaro & ingrato donatur. Sed ut omne tollatur dubium incolumiſque vigeat opinio noſtra, experimentum referre ſatis erit nuperrimè inventum quo liquor cæruleus aut aliter coloratus in vaſa injicitur per quæ bilis è duodeno in meſenterii venas fluit. A quâcumque cauſâ obturentur venarum earum pori, bilis proximiores chyli vias petit, indeque in ſanguinem infunditur, icterum & ſymptomata omnia quæ ab eo pendent brevi inductura.

V.

SI quæcumque præſcribuntur medicamenta ratione, experientiâ, & obſervationibus anatomicis eſſent comprobata, maximum medicina ſplendorem acciperet & ornamentum; non tam frequentes eſſent hominum

ſtrages, nec tanta medicorum multitudo. Divina hæc ſcientia paucioribus ſed difficilioribus comprehenſa regulis ſolis daretur ſcientibus; quæ morbis debellandis adhiberentur præſidia expectatum ſæpiùs haberent effectum. Contrarium tamen hodiè infelices experimur. Plerique enim medici ſyſtematum novitate, aut fucatis rationibus, phaleratiſque verbis inducti, quod verum & certum eſt, negligunt, quodque incertum & errore plenum, hoc, quia ingenii tenuitati magis accommodatum, ſectantur & diligunt. Hujus rei exemplum & probationem ſuppeditat icterus cujus curatio ab his ſciolis ſi ſuſcipiatur; purgantibus, ſalinis, ſudorificis, ſimilibuſque quibus uti ſolent remediis, bilis adaugebunt efferveſcentiam, morbi vehementiam. Qui verò omnem icterum ab obſtructionibus prodire noverit omnes contendet nervos ut eas eradicare poſſit, ſoliſque aperientibus curationem inchoabit, perficiet. Remedia quæ obſtructiones tollere non valent aut inutilia ſunt aut nociva. Cavebit tamen medicus prudens in eorum exhibitione ut refrigerantia, demulcentia, com-

peſcentia priùs fuerint præmiſſa, aut cum iis ita conſocientur, ut fermentationis & inflammationis omne abſit periculum. Hæc cum cautelâ ita adhibita omnes ſuperabunt obices, indicationes adimplebunt curativas, hepatis glandulas, ductus biliferos, & venarum meſaraicarum poros liberos reddent & obſtructionibus immunes; atque ut ſummatim dicam partium vitia emendabunt, corpori colorem nativum, deperditam ſanitatem, & antiquum robur reſtituent.

Ergo omni Ictero aperientia.

FINIS.